
V B J G
BIBLIOTHECA UNIV. JAGELL. CRACOVIENSIS
Kat. Komp.
8011
Augustianie
Ou

Aug. 8011

VICTIMA CORDIUM
SOLEA & geminis CRVCIBVS
ADORNATA,
In ARA Virtutum, Sapientiæ,
Provincialisque Dignitatis,
Eximio, & A. Rndo PATRI MAGISTRO
CANDIDO CASIMIRO
POTOCKI,
Ordinis Eremitarum S. P. Augustini,
Provinciæ Poloniæ & M. D. L.
PRIORI PROVINCIALI,
In perpetuum Filialis observantiæ debitum
In Theologicæ Veritatis propugnatione
OBLATA
à Studio Theologico Cœnobij Varsaviensis PP. Augustinianorum.

Anno VERBI Incarnati pro nobis in Ara CRUCIS,
PATRI Æterno Victimam Offerentis.
1708. 13. Maij.

P. M. Candidi Potocki S. T. Doct.



Unio quàm felix, dum COR, CRUX, atq; VOLUMEN
Iuncta, Tibi signant CANDIDE quæq; bona.
CRUX duplex, sortem adversam Soleata fugabit,
Addet splendores COR radiante comâ.
Monstrabit Sæclis cœlestia facta VOLUMEN,
Et sic perpetuò, CANDIDE clarus eris.

Bibl. Jag.

PRÆFATIO LYRICA.

NItore cordis ſplendida Sydera
Candore vitæ florida Lilia
Veſtæ puellæ nunc adeſte,
In Lechicũ properetis Orbem.
Quid? ſi colentes Iliacas plagas
Pronæ vovetis per Thymmiamata
Veſtæ ſacratæ victimas olentes,
Ignivomas renovando flammas.
Non multa vobis laudis adorea
Subinde creſcit. Tu Dea virginum
Prognata Divis Veſta parces
Fama redux tibi narrat iſta.
Si fors in ævum, perpetuum decus
Et buccinantis Nomina claſsici
Servare tutò poſcis, alma
Fac properes Dea nũc ad ARAM.

Offer perennes illicò VICTIMAS.
Ignes triumphans ocyùs excita,
Substrata plantis CANDIDI, *non*
Memineris Dea te esse Divam.
Addicta tanto quid Dea NUMINI
Nunc victimabis? quæîs ceremonijs?
Iam curre passus NUMEN *ad tûi*
Virginibus stipulata multis.
Aut siste passum, Vesta Parens peto,
Nec aude Sacram reddere VICTIMAM,
Objurga per Divos, Deas per,
Virgineus veniat chorus nè.
Scis, scis quid audes? Iliacæ plagæ
Regina, Divis orta Parentibus,
Staurare tentas ARIS *ignes?*
Quæîs SOLEA *est geminæ* CRU-
His juncta Virtus, tum Sapientia, (CES*que,*
PROVINCIALIS *præeminens gradus,*
Non poscit ignes victimales,
Grandisonam petit Orbe famam.
Audi quid orbis! quid geminat polus!
Quæ vota Divûm sunt data CANDIDO!
Insculpta Cedris mox videbunt
Tempora, Dîj, homines, & astra!
Quantis mireris dignus adoreis!
Quem fama discit reddere CANDIDUM!
Vt clarus altas scandat arces,
Et nitidus radiet per ævum.

Quors,

Quors, quors vagaris splendida gloria?
Quibus refulges orta trionibus?
Iam linque, moras rumpe, cernas
CANDIDꝰ *en sine labe* CANDOR.
Ceû Phœbus omnes irrutilans plagas,
Intaminatis splendet honoribus,
Corruscus ad Sacratioris
PECTORIS *irradiantis* ARAM.
Iam plura fas sit dicere CANDIDE,
Quæ non colorans dictat Amor mihi,
Si RECTOR *Almus jungat Orbes,*
Isthmus erit Tibi quivis orbis;
Non explicabit planitiem Tuis
Dignum Theatrum mille laboribus,
Quos ore pleno buccinabit
Omnigenè exadorans Minerva.
Divis propinquam Tûi Sapientiam
Bellè notârunt Pegasides Deæ,
Vt Nomen æternùm perennet;
Marmoribus posuêre Sacris.
Haud jactet ultrò nunc Latium suos
Sermone comptos, haud magè Tullios
Firmet sub astris; Cæsar Altus
Virgilium celebrem canat non.
Hæc, hæc debetur gloria CANDIDO,
Quam membra sparsam per minorennia
Sæclis peractis novit Orbis,
Altisonans Pater ipse testis.

 Quid

Quid ni mirum sit! quod modo CANDIDE
Iam serta, laurus jam redimunt Caput,
Cùm nulla mundo sit curulis,
Non debeat Tibi quæ illa fœudum.
Multis ab annis clarus in Insula,
Per-radiasses Lechica climata,
Connata si fors non negaret
Mens humilis similanda Divis.
Ast nunc Paterno compropians pede
Inclina Sacram tempora ad Insulam,
Iam novit Orbis, quòd debetur
Præsuleum Tibi (prensa) stallum.
Mox, mox Tiaras Orbis, & Vrbium
Propensa semper Roma parens dabit,
Omnesq; diffundens honores
Te faciet radiare nobis.
Expectat ô quæîs augurijs bonis
Ortum serenum Lechia CANDIDI!
Iam nunc adesto Doctor Alme,
Iam Lechico rutiles sub axe.
Hæc vota profert VICTIMA CORDIUM
Sacras ad ARAS *Nominis en Tui,*
Iam corde profundo repone
VOTA *Tibi data Doctor Alme.*

ARA

ARA
VIRTUTUM ac MERITORUM
A. R. P. Magiſtri
PROVINCIALIS.

LVmen Syderibus, Thyrreno derivatam æquori non restituere ſcatebram, idem eſt, quod pro perennis gloriæ titulo VICTIMAM CORDIUM *Soleâ & geminis Crucibus adornatam in* ARA *Virtutum, Sapientiæ, & Provincialis dignitatis* TIBI non offerre. EXIMIE PATER MAGISTER PROVINCIALIS. Nec dedignare ſubmiſſam Filiorum Oblationem, cùm magnitndo geſtorum Tuorum ſæculis omnibus veneranda, nequaquam maximo quoque calamo liberiùs poterit adorari, niſi CORDIUM VICTIMA in ARA

Virtutum Tuarum TIBI offeratur. Truci vulnerum Numini quondam Lacædemonij hominem, Phænices bello & pestilentiâ oppressi addictissimos Achates Saturno, Aristomenes Messeni⁹ ducentos Jovi sacrificavit homines, nos CORDIUM nostrorũ VICTIMAM offerimus, ut discat posteritas, nihil esse, quod Oblatio tanta non possit nobis ubiq; obtinere. Nemo enim jam non securus ab omni fatorum vivet vulnere, nemo non Achilles sit necesse est, quem tantæ VICTIMÆ attigerit pulchritudo. Minimè miretur posteritas, quòd CORDA in ARA *Virtutum* consecrantur! in tantam enim rectèfactorum TVORVM gesta excreverunt augem, ut non aliam præter CORDIVM VICTIMAM mereantur. Clariùs splendent fulgentissimi *Actuũ Tuorũ* Phœbi, quàm ut aliquib⁹ Titulorũ radijs illu-

illuſtrentur, pretioſiora ſunt merita Tua, quàm ut illis collata dignitas accumulet dignitatem. Quid namque illis viris pretioſius ſub orbe cenſeri poteſt? qui non ſui tantùm honoris & virtutis valore, at publicâ omnium noſtrum felicitate æſtimantur. Quis ad ARAS ipſorum centenam verborum non ſacrificabit Hecatomben, etiam Religioſis in umbris? non veretur Clauſtralis penna ſuæ ſæpiæ pullatum induta nigrorem in conſpectum Magnorũ venire, quando eorum claritate pulchriùs adornatur; non erubeſcit humilitati aſſveta ſuam parvitatem, quando ad attingendam Panegyricâ dictione ipſorum Magnitudinem, grandib⁹ eorundem rectè-factis ſublevatur. Non metuat ampliùs hic ſuam ingenium ſiccitatem! non expaveſcat conceptuum ariditatem! nam omnem dictionẽ POTOCCII Ethy-

mon

mon abundè irrigabit. Non abhorreat inornatum Svada sermonem, sat splendidè CASIMIRI Lilia adornabunt. Et licèt securiùs est cum prætextata pusionum ætate equitare in arundine longa, cùm verendos cum Macedone nesciamus occupare veredos, indomitos regere Caballos, effrenes frænare Dromadas. Securiùs imbelli catello remurmurantes incidere Ursos, dum adhuc magnæ cervicis prædam (Leones inquam) aggredi pertimescit. Laudo Milonis prudentiam, qui dum Cœlum cum Atlante succolatore humero fulcire nequibat, minutiores thoroso lacerto vitulos sustentabat. Non detraho dexteritati Paridis, quòd Noricum Castriotæ ensem, ferro Achillis onustam fugeret hastam, leviorem cum Apolline prensando Sagittam. Salutare est ignaris remigibus in parvo flumine remis

sulca-

ſulcare aquas, quandoquidem nondum grandiori frætum prorâ arare ſunt capaces. Tutior & ipſa in parvo natat flumine Cymba, nec vaſtam horret procellam: *nemo enim à radio æſtuavit, quem totus Sol non aduſsit.* Quaſi verò vel ideò inglorius cenſeatur Domîcianus, quòd glomerata culicum edomuerit agmina, aut colla cum Tarqvuinio truncando papaverum, Conchas è littore cum Auguſto collegerit, & quòd Cuneatas hoſtium Phalanges cum Pelleo pellere, cum Cynegyro dentibus navim detinere, in profundam cum Coclite abyſſum generoſo hoſtes præcipitare auſu non meruerit: *deſiderantem enim quod ſatis eſt, & quod convenit nulli, nulla premit ſollicitudo.* Inconvenientem verò ſuis humeris velle imponi Provinciam, quid aliud eſt? quàm illius velle opprimi magnitudine. Dolet

hucusq; Alcides, quòd præfocatis inter fascias angvibus, festino nimiùm passu ad Septicipites processerit Lærnas, Næmæos Leones, Erimanthæum Ursum, Calidonium Aprum edomandos. Tu tamen age audaciùs calame! nec tuum ardorem ad Festivam VICTIMAM CORDIUM in ARA Virtutum glaciale timoris extinguat gelu. Age intèr Religiosæ modestiæ metam! & si supereminentem Perfectionis & Meritorum gradum assequi non poteris, liceat umbratili saltem intra Sphæram Eremiticam Magnos PROVINCIALIS Sui Splendores infimi styli comitari famulatu. Liceat ad ARAM Virtutum, Sapientiæ, Meritorum, tenuem laudum texere Panegyrim. Cum: *Pulcherrimū & tutissimum est, in sola virtute spem habere.* Et istud est, quod solitarium Eremi Nostræ pulsavit calamum; *quoniam*

am faciliùs currit penna, si veræ laudis spiritu agitetur. Sederamus nos Eremiticæ contemplationis immersi studijs, animarum nostrarum præ oculis & privatæ Palladis habentes curas, non publicas lucubrationes & claratos factis fastos nostris observantes animis, ast in hac sedentarij laboris quiete grandis quædam Virtutum & Meritorum Tuorum animos nostros invasit materia, cujus oppressi pondere, Corda Nostra in VICTIMAM debuimus consecrare. Plausibile, imò plus quàm solenne Rhetoribus texendi Panegyres genus, Magnorum Virorum velut fluminum primam investigare scatebram, & ab Avorum Sanguine permultas generationes auctam deducere Genesim, nulliq; suaviùs inhærere, quàm Gentilitijs Majorum Ceris, quasi nullus foret sapidior fructus gloriæ, nisi quem trecentis pro-

creata ſæculis Porphyriana generâſſet Arbor. Nec ad ſummum laudum provehi poſſet Capitolium pediſsequo comitata famulatu, niſi curribus Æmilianorum eò celſitudinis librata niteretur. Sed tenues ſunt hi laudum rivuli, Illuſtres Majorum Ceras ad ſuæ gloriæ derivare lumina, & quæ Patruus aut Pater geſſit Scipio, proprijs accendere faſtis. Cùm

--- --- non faciunt virum
Quocunq; grandes lumine fulſerint
Panni, Paternarumq; laudum
In Proavis ſeges ampla Ceris.

Vile decus eſt, cognatos Superis inferre faſces, & diro malæ conſcientiæ vapulare flagello. Quamquam nec tales nobis ad exornandam Tuam PROVINCIALIS DIGNISSIME gloriam deeſſent colores, non deficerent ſimiles ſtimuli, quos largo fonte Gentilitia *Lu-*

bicz

bicz ſuppeditant Stemmata, niſi benè noverimus, TE pridem jam mundanos contempſiſſe Faſces, & non à præclari Sanguinis, ſed à Virtutis nobilitate velle inclareſcere. Non memoramꝰ Avitū *Lubicz* plus quàm à quinq; ſæculis, benè meritorum de Patria quâ Sago, quâ Togâ, Antenatorū prætermittimꝰ facta; illi his glorientur fumoſis Avorum Imaginibus, aut vaſto Sanguinis innatent, ſolummodò Erythræo, quibus ignotum virtutis nomen, exul probitas, primaq; jactura rerum innocentia. Cùm plerumq; ipſæ Illuſtres Ceræ, non ſemper in Feſtivos ignes Succeſſoribus, ſed & in iras etiam accenduntur immortales. Avita Magni Domûs Inachi, non tantùm ſenio gravis, quàm meritis, Gentilitia ſæpè ſumit Arma in degeneres; & priſci generis Sanguis procellam minatur Nepotibus, niſi ad feliciores Inſulas

virtutum, meritorum, contendant remigio. Nolumus itaq; ad Elogia è Sepulchralibus Sarcophagi umbris Tuos revocare Majores, ad primam ætatem Tuam calamum flectimus, oculosque. Vix commune vivendi PATER DIGNISSIME es ingressus Theatrum, illicò singularis Virtutū Actor extitisti. Ipsa TE tunc fœcunda parens Virtutū gratia beato visa est excepisse sinu, munusq; Lucinæ sollicita implens, flexiles ad rationes honesti formavit annos, ut non habitum virtutis induisse viderêre, sed in ipsam admirandâ penè metamorphosi virtutem abijsse. Ferebaris in ardua literarum supra tenerrimæ vires pueritiæ, supra annos, supra exempla Palæstræ stupendus. Assiduitas literarum Tibi ludus erat, non labor, qui literatorum olim negotium esse debuisti. Extra omnem fuit dubij aleam, ad

lucem

lucem editus eſſes, an ad immortale decus Sapientiæ. Meminiſſe omnia videbaris, non diſcere; facilitate felicitateq́; tantâ, ut clarè intelligeremus univerſi, doctam Palladem etiam ſine capitis vulnere naſci poſſe; & quos dulcis animorum compes eloquentia Tibi non detulit honores? quando redivivũ è Sarcophago Tullium, & fulmineum adorabat Demoſthenem. Verbo: quævis Palæſtra Tibi ludus erat, ut plus ingenio Tuo, quàm cæteri novem Muſis debueris; nempè quod pluribus laboribus Immortales Superi vendunt alijs, Tibi ultrò donaſſe vidimus. Undè flere debuit integra Hypocrenæ Helicon, quòd à Te ſua viderit ſuperari Numina. Ingenitæ probitati, acquiſitam adjiciebas, ipſemet Eruditoribus Tuis fuiſti Schola, ubi ea in Te diſcerent, quæ docebant. Currebas cum collactaneorum

cona-

conatibus ad bravium, nullus tamen præter Te reportavit Coronam; satis existimans in stadio Tecum fuisse, cùm ad metam præ Tua alacritate venire non liceret. Quidquid futurus eras, jam tunc fuisti, quando incipiebas; ut dubium posteritati feceris, Majorne ante Magnitudinem fueris? an semper Maximus. Brevi Syllabo prætextatam ætatem Tuam concludimus, quæ præclarorum Palæstra Operum est effecta, adeò; ut nihil cogites, præterquam ut grandia moliaris, & patres. Idcircò si in pusionum ætate Tuorum dare vellemus comitem titulorum, irent literæ ultra se, non ultra Te; cui indoles à cunabulis vitæ, est proficere bonitate. Eo fastigio Te posuit Virtutum Fortuna, ut litem intendas eruditæ facultati, & amori, cui debeas; putat illa Te sibi debere, & quos sentit Cordis stimulos, in paginam

nam anhelat conatu deducere. Experitur tamen magis Te pectori quàm lingvæ debere, judicat, magis VICTIMA CORDIUM dignum honorari, quàm labili verborum prosequi apparatu. Incitat plus quàm Macedonis Juventus Tua ad ulteriora calamum nostrum Elogia, nisi sublimiora *Augustinianorum* Religio de Te daret Laudum incitamenta. Evocat adolescentia, ut centenas Homeri Iliades Filiorum Tuorum Tibi concinnat propensio, sed Divinior Martinus unà cum Sole Doctorum Sancto Patre *Augustino* prohibet, cui cum solenni Religionis nostræ plausu Juvenilem dedicasti Indolem, longè majora Virtutum & Meritorum Tuorum monstrantes incrementa. Quid de Te *Augustiniano* Ordini divinare licuit? quod Omen præsago polliceri spiritu? experimur. Quam festiva Pæana

accinit Tuo in Religionem ingressu Varsaviensis Syren, novit Eremus. Colligebat spes de Te magnas Provincia nostra, diù cœlitum supplex poscendo ARAS, ut eam fortunares, nec fefellit eventus. Nihil enim statim ab initio nôsti quàm Numina, penes Magni Cor Igneum Patris AUGUSTINI in Virū maturatus. Dicasti illi per solennem essentialium votorum emissionem primitivos ætatis Tuæ flores, & quo non æstuabat gratiarum gaudio? quando Te Conclave & Compendium omnis Virtutis, omnis perfectionis adoravit. Vidissè Te fuit in minore Ordinis Sancti circo, quàm alacri Officio nutum explicabas Majorum? & velox antevertebas intenta gubernantium. Nihil Tibi exile fuit, infimis quoq; munijs immorari, qui ad primarias in Provincia dignitates parabaris. Industriùs fuisti ad exe-

quen-

quenda plura, quàm poterant injungi; cùm ea ſemina honeſti animo Tuo incluſa ſentires. Exordia Religioſæ vitæ & germen à Te poſtulabat Aſceſis, Tu perfectionem ſpiritûs profitebaris: flores illa & novale Virtutum petebat, Tu adultos in planta fruct⁹ porrigebas. His viſis, formabant de Te Seniores Tui feliciſſima auguria, quotquot curioſius colligebant ævi Tui teneri colores, & non falluntur. Fovebant futurorum ſementem, non inſcij, & ad publica nobis, & primarias in Eremo Noſtra latere Te ſuis abditis dignitates. Præſciverunt, etiam inter abrupta Eremi Noſtræ in Magnum Te debere ſoboleſcere. Viderunt ad aſſiduam de arboribus foliorum lucubrationem non folia, ſed ſapidiſſimos perfectionis fructus legere; ut verus Magni AUGUSTINI Auguſtinianus videaris. Viderunt Te capa-

ciorem Majorũ, quàm quæ annos concernerent Tuos. Catonico judicârunt ſenſu ad Conclave Omnium in Te congregatarum Virtutum, etiam Scientijs eminere. Logicales ſpinæ in Pæſtanas Tibi effloruêre roſas, Phyſicarum & Metaphyſicarum perplexitatũ nodum, faciliori quàm Gordium ſolviſti acinace ingenij Magnus Alexander. VERITATEM Theologicam irretortâ contemplaſti pupillâ, ut Verus Solis Doctorum Filius AUGUSTINI. Inſuper, nulla Tibi tam perplexa difficultas, nullus difficilis in Scientijs Labyrinthus, nulla non ſuperata abyſſus, quæ in Triumphale Tibi non creſceret gloriæ Coronamentum. Ingenij claritate omnes Ariſtophanis, univerſas Diogenis extinxiſti lucernas, nec ut alijs, Tibi ſomniavit in Parnaſſo. Ita pro immortali gloria vigilabas, ut Magnus olim in Eremo

noſtra

noſtra Doctor, Eximius Magiſter, primus ſis inter primos PROVINCIALIS. Totus Tecum eras, & per admirationem omnium Te diffundebas; latere non poteras, cùm amares ſortem latendi. Lucernam ingenij Tui, ſub modio Religioſæ modeſtiæ occultare voluiſti, ſed mox in Candelabrum expoſita, quando; poſt emenſum ſtudiorum glorioſè curriculum, in Auguſtali Regum Domicilio Varſavia, publici Philoſophiæ Lectoris, Subſellium conſcendiſti, ut Te feliciorem Polycrate ſciret Orbis. O quantum in ſtuporem multorum tunc verſa ingenia! Exivit & ipſe ex abditis ſylvarum luſtris, & dilecta ſolitudini nemora deſeruit Academus, ut Te ſuprà eminentiorem Exedram Magnum Philoſophum conſpexiſſet. Vidit, probavit, coronavit. Mirabantur ſinguli, quòd Tu unus morem

Perſarum in erudiendo imitatus, dum
Te approbarunt *Sapientiſſimum*, *Juſtiſ-
ſimum*, *Temperantiſſimum*, *Fortunatiſſi-
mum*. Aſt ô quàm invida Varſaviæ in-
conſtans Fortunæ Dea! quando Te
Decus ejus, ad Leopolienſia nobis au-
fert Mœnia. Quanto affecti dolore
Conventûs Patres! quantis lachrymis
in Plejades abiêre. Doluit & ipſe Tu-
telaris Patronus Divus MARTINUS
Te Unionem pretioſiorem quàm Cleo-
patræ gemma ſibi ereptum. Mœrore
afficiebantur univerſi, dolentes inſpera-
tam Tui à nobis abſtractionem. Aſt
benè id faventibus factum Superis! quo-
niam hæc inſperata mutatio monſtravit
amplitudinem ingenij Tui, docuit
quantus ſis, quàm vaſtum ingenij habe-
as Pelagus, quando ſpatioſo ambitu non
potuit Urbis unius contineri. Macedo-
nis es æmulatus magnitudinem, uno Or-
be non

be non contentus, alium quærere debuisti. Videre erat, in quos & quantos se Pallas Tua tunc reflectebat colores? quàm stupendos ingenij monstrabat partus? quos si in effigiem circumscribere vellemus, etiam ipse Apelles tanto impar oneri, non sufficeret. Ita felices reddidisti Leopolienses Musas, ut si in Divorum cœtum iterum inaugurari vellent, Tuo Capiti se commendarent, à Te expectare deberent Suffragatorium Calculum. Stoa & Peripathus suos è pulpitis eliminârunt Stagyras, Tibi in eis immortales innectentes Laureas, benè scientes, quòd faciliùs explicare nodos, lucidiùs enucleare, perplexas difficultates explanare non valeant, quàm Tuum Caput. Effecisti Scientias Tuas esse & animæ germanas, capacitate, & promptitudine. Latium & Athenæ Tibi cessêre loco, apud Te Solum,

verum

verum Sapientiæ domicilium judicantes. Quid porrò de Te loqui ſapienter? aut literas computare Tuas? Te nominaſſe ſatis eſt, & numerum doctrinæ & Palladem expedijmus. Faſtigium in Te habent Scientiæ, aſcendunt dum alta cogitas, dum loqueris. Probavit id Metropolitana Poloniæ Urbs, quando Te vehementiore voto animorum deſiderabat. Certabat de Tua præſentia avido expectans conatu, & Gentilitiam Portam in Tui adventum reſerabat, è ſtatione ſua movens Aquilam, Tibi ſublime in ea honoris erigens Capitolium, quod & candido fortunæ ſalientis jactu poſsediſti, quando Regens Studij Cracovienſis es declaratus. Vidit Metropolitana Civitas Regiminis Tui Documenta, vidit Studentium profectus, vidit, & ſtupuit! *Tui quid valeant humeri, quid ferre recuſant.* Jagielonicus

Mani-

Manipulus fœcundus Sapientûm Parens approbavit ſtupendum ingeniũ Tuum, dum Tua tempora pridem jam communi omnium voto immortalibus redimita lauris etiam Doctorali adornavit Byretto. Cenſuit Provincia Noſtra, quòd alteri Regimen Subjectorum, prœter Te non debeatur; imò Tibi Soli debere adjudicari, dum Sacri Patres, illa Magnorum Virorum colla, illi emeriti Catones, probati Quirites, Pij Æneæ, pleni Virtutum Octavij, concordes unanimi in Te collimarunt voto, ut in Cracovienſi Provinciali Capitulo primarium obtineres locum, quando Te principale Membrum, loco Capitis Sui Ordinis in Præſidentem inſtallârunt. Hic primùm externi viderunt Soles, Tuus quid valeat Genius? quæ poſſis? ita ut Hyperbolicam illam Superlationem Claudiani de ſuo Stilicone, Tuam,

D & in

& in Te sine fuco & commentitijs coloribus in genuinam, imò ipsissimam transformari veritatem: *Sparguntur in omnes, in Te mixta fluunt, & quæ divisa Beatos efficiunt, collecta tenes.* Scivisti omnium parere votis, singulorum desideria ad nutum satiare. In Te Uno didicit Orbis, quòd non solùm ferro, sed aureis etiam triumphare ingenijs, Polonum est. Virent, vigentq; immortalibus Cordium nostrorum incisa marmoribus, illa *Secretariatûs* Tui in Commissione Generali tam egregia facinora, intimis animorum nostrorum insculpta tabulis; perennant gravissimi Judicis Causarum immortalia gesta, quibus neminem pronunciasti reum, qui non priùs se intelligeret damnatũ, quàm audiret; neminem innocuum, nisi quem innocentia commendabat. Implevisti tunc non Subsellium, (ut ple-

pleriq;) ſed dignitatem Judicis abſolutiſſimi, integritate tantâ, ut lucem Areopago, quam illi priſca ſubmoverat Antiquitas, aperuiſſe videreris. Ipſa Nemeſis cedens loco, Te æquiorem ſe adoravit, quoniam innotuit omnibus Officium Judicis, non Gratijs, ſed Themidi à Te conſecratum, & omnia non ex Gratiani, ſed ex Juſtiniani Codicibus decernenda. Quid commemorare debemus illa millena magni ponderis rectèfacta? quid in rememorativam revocare grandia geſtorum Tuorum facinora? loqvuntur ea omnes à Te in Provincia adornatæ Dignitates, quivis illa in Ordine vocali famæ buccinat Claſſico gradus. Quatuor à Te adminiſtrati glorioſiſſimè Prioratus: Varſavienſis, Cracovienſis, & ſexennalis Breſtenſis, quam in ævum miranda rectèfactorum Tuorum ſolenni famæ com-

 munis

munis applausu & gaudio posteritati divulgant, & divulgabunt opera! Inter hos Primatum sibi Varsaviensis vendicat, qualiter in eo modestiâ Cymon, æquitate Camillus, Religione Numa, moribus Cato, clementiâ Augustus, imitatione Themistocles, honorib9 Marius, eloquio Pericles, fortitudine Hercules Magnanimus extitisti. Omnibus Te acclinem sine jactura authoritatis, omnes Tibi acclines, sine activitatis molestia effecisti. Frontem Tuam etiam in arduis sine aspero rugarum comitatu singulis explicabas; ad Te patuit cunctorum postulationibus aditus, patuit Cor Tuum, nec Officij moles gravabat animum in subveniendo ærumnis, quando Te ad erigendas egentiũ calamitates demittebas; & quò majores advertebas indigentiũ curas, eò patentiores ostij Tui fecisti januas; scivisti enim, nulli9 manu &

nu & ope posse salubriùs sublevari, quàm Tuâ. Quoniam Sapiens est, apud quem misereri, est succurrere afflictis, & prodesse. Sine adulationis fuco seria loquimur: in triennali Gubernio tota vita Tua fuit commoditates curare fratrũ, & dies non tam Tui fluxerunt, quàm eorum, quorum Prior & Pater Singularissimus fuisti, adeò, ut omnes unanimi Te esse acclamârunt voto, Fratrum delicias, Provinciæ animum, Conventûs decus & Patronum. In Tutelaris Patroni loci hujus Te genuinam vidimus abire Personam, quod ut feliciùs præstares, totum Te ad DEI cultum, totum ad populi eruditionem, totum ad augendum Religionis splendorem convertisti. Et quidem tam beato successu, ut ad unam Divi MARTINI minutiorem Basilicam, tam Procerum, quàm plebejorum animos evocâris. Quid di-

 cemus

cemus de ſexannalibus Sacræ Quadrageſimæ Prædicationibus? quid de Sanctis illis Concionibus miraculo ſonoris, quibus adamantina etiam peccatorum corda gravis Prædicator emolliebas? Omnes enim, quorum Tuâ exhortatione pulſabas animos, longè ab humanis, ſive vitijs, ſive affectibus, & penè extra ſe ipſos abijre videbantur. Verbum Tuum quaſi facula ardebat, infirmiores corroborabat, ignorantes inſtruebat, devios reducebat in viam mandatorum DEI, errantes & dubios illuminabat veritate. Non jactet ergo amplius plena Fabularum Antiquitas ſuos Gallicos Hercules! eſt in Eremo Noſtra CANDIDUS, qui candore Sapientiæ & eloquij ſui candidiores nive, nitidiores lacte, Saphiro pulchriores animas Superis lucratur peccatorum. Magneticam ſe in Te Svada Tua probavit habere vim,

re vim, quando non solùm ferreos peccatorum animos non solùm popularitatem, sed etiam Procerum ipsorū ad Te trahebas affectus. Magni Te æstimaverunt Populi, maximi Principes, quando Serenissimus *Jacobus*, JOANNIS III. Poloniarum Regis dilectissimus Filius, non solùm à Concionibus, non solùm Præconem Divini Verbi sibi adscivit, verùm etiam animam erudiendam, conscientiam expurgandam, se ipsum omni imbuendum virtute, per Confessoris Sui Officium dedicavit. Quo amore, quibus gratijs in Te ferebatur Princeps Serenissimus? dicere sufficiat, quia neq; Chinæ vel Arabiæ sapidissimis condimentis Regio ad Majestatem gustui appositæ dapes appetitum satiare poterant, quàm Tui sive in Politicis, sive in Spiritualibus sapientissimi discursus. Non minores etiam in Prioratu

ratu Cracovienſi in affectibus ſingulorū inveniſti gratias; ita enim Patrona Conventûs illius Diva CATHARINA, ſuâ Rotâ Te vexit felicem, ut non ſolùm omnes, maximi quoq; Civitatis illius, uti Sedis Sapientiæ, Tibi inter ſe primarium ceſſerunt locum, verùm etiam Epiſcopales Tiaræ Te ex omni Scientiarum genere, eſſe Cæſarem, ſunt veneratæ. Sexennio Breſtenſis à Te adminiſtratus Conventus immortales gloriæ Tuæ erigit Coloſſos, impenſumque DEO honorem in adminiſtratione Sui in Te Authorem refundit, cùm: *aurea Seges, quam ad Divini Cultûs incrementum ſpargimus, in noſtræ repullulat meſſem gloriæ*. Clangunt inter feſtivos concentuum plauſus Tibi Laudes Tuâ induſtriâ conſtructa Organa; nunciant Magnitudinem Tuam ſumptu proprio comparatæ Campanæ. Quanta, & quæ

de Tuis

de Tuis meritis & laboribus Religioni accesserũt solatia & emolumenta! Tuo non nisi Ingenio commensurabilis Magnitudo. Nec solummodò intra Patrij Soli probavit Eremus Tuam Magnitudinem, verùm etiam externi Soles mirati sunt ad frigidas Septemtrionis plagas, omnibus virtutum radijs corruscos inveniri Flaminios. Quid namq; terna illa à Provincia Nostra Polona Tibi imposita ad Capitulum Generale Deputatio, nonnè Magnitudinis incrementum fuit, & gratiarum cumulus? quando omnium ad se exterorũ rapuisti animos, singulorum captivasti affectus. Dedit, de Te Caput Gentium Roma judicium, quòd non Urbis solùm, verùm & Orbis capacitas vix Tuæ sufficeret amplitudini, dedit Reverendissimus *Travallonius* Generalis, dum Te Magistrum, in Sa-

in Sacra Theologia declaravit, largo benedictionis fonte Sanctissimus INNOCENTIUS XI. Suas in Te effudit Gratias, dum etiam contra communem (quarum cæteras tacemus) Statutorum & Constitutionum Sancitum, Brevi Suo Apostolico simultaneam Cohabitationem in Conventu Cracoviensi cum Eximio P. Magistro NARCISSO POTOCKI, Germano Tuo, indulsit; Provinciæ Nostræ firmo Atlante, robusto Hercule, qui tantas Laudum meretur Panegyres, quas si texere vellet in unum calamus, vix tota ei sufficerent sæcula, ad Ejus enarranda arithmetico calculo rectèfacta. Habet & hic ex animis nostrum omnium immortales sibi erectas Columnas, habet immarcescibiles Lauros, quibus tempora ejus pro effusis circa Nos laboriosè sudoribus

deco-

decorantur. Perennat CORDIUM Noſtrorum incluſa arcanis, Ejus feliciſſimè adminiſtrata PROVINCIALIS Dignitas, quam Tu directâ lineâ in Te derivaſti, ac tandem millenis Virtutum & Meritorum (quibus noſtra opprimuntur ingenia) ſtipatus ſplendoribus, velut infractis Cathafractorum cuneis, in Zaturcenſi Provinciæ Capitulo, Capitolium PROVINCIALAT⁹ conſcendiſti: quodTibi ante Julios & Auguſtos debebatur; & licèt poteras pridem jam communibus Suffragijs celeriùs eluctari, ſed CandorTuus vulgarem viam neſcijt, quia olim, adhuc per Templum Virtutis ad veri Honoris ARAM eundum eſſe didiceras. Tardiùs ſequi Veteranos voluiſti, quos longè priùs Meritis præveneras. In hæc Te nobis ferrei ſæculi tempora, ſuprema Gubernatoris voluntas reſerva-

vit, ut eò in altiores Magnitudinem Tuam eveheret gradus, quò majoribus Provincia jactaretur fluctibus. Nunc primò sub Avitas CRUCES TUAS nostrum omnium animas deposuêre Superi, ut eas frontibus suis inungant, & inter timores & horrores temporis securi in hoc Domûs Tuæ vincant Signo. Gratulabatur Antiquitas Tiberio, quòd Thesauros industriâ sub Cruce repositos adinvenerat; gratulamur Nos jure potiori communi felicitati Nostræ, quòd sub POTOCCIORUM CRUCIBUS omnium periculorum & adversitatum Victores existamus. TIBI hæc debetur Nostrum Omnium Salus, TIBI hæc indemnitas, TIBI hæc felicitas Magnum Domus *Lubicz* ornamentum. Sensus omnium Politicorum communis quemvis Principem animam, Rempublicam

blicam Corpus eſſe teſtatur. Pridem, jam Corpus Reipublicæ moreretur, niſi Tuo PROVINCIALIS DIGNISSIME animaretur Spiritu, tantis bellorum æſtibus plus quàm malignis colliſum febribus ægrotaret periculosè, niſi Tuo vigoraretur animo. Incidiſti in hæc tempora, ubi defendendam magis quàm regendam ſuſcepiſti Provinciam. Ad Tuæ id augmentum gloriæ fecêre Superi, quemadmodum enim: *dum molles auræ, & boni ventorum ſpiritus Carbaſa juvant, cuivis ad clavum ſedere licet, ſed poſtquam turbulentus Auſter, & valida tempeſtas latus utrumq; navigi pulſat, ipſius Navarchi artem malum generale provocat, & ſeſe inſufficientem quisquis tunc recognoſcit.* Incidiſti in rerum calliginem, ſicut Sol in Opacum nubium,

bium, ut ſerenares Cœlum Provinciæ Noſtræ, dum corruere deberet. TE incolliſum invenimus Atlantem, cui in perpetuum gratitudinis & Filialis Obſervantiæ debitum VICTIMAM CORDIUM Noſtrorum in ARA Meritorum Tuorum oblatam, Feſtivis ſuccendendo affectuum flammis, immolamus, à Superis enixè expoſtulantes:

Vivas in Nubes, Pyliasq; luces,
Vivas infractos adamante Soles,
Tarda, MÆCENAS, *opulent⁹ Annis*
Sæcula vivas.

22

VERITAS THEOLOGICA

Ex Oraculo Diviniſſimi SALOMONIS

DEDUCTA,

Ac de Auguſtiniano Eremo in publicam certaminis Arenam

EDUCTA,

Luſtranti verò ſuas VICTIMAS CORDIUM

Eximio, & A. Rndo PATRI MAGISTRO

CANDIDO CASIMIRO POTOCKI,

Auguſtiniano, S. Th. DOCTORI, *Provinciæ Poloniæ & M. D. Lithvaniæ*

PRIORI PROVINCIALI,

In perpetuum gratitudinis Anathema

CONSECRATA.

à Studio Conventûs Varſavienſis Sancti MARTINI,

Supportante tela adverſi Gradivi V. P. Vincentio Forankiewicz, *S. Th. Curſore, Præſide A. R. Patre* INNOCENTIO BALICKI, *Provinciæ Viſitatore, Sac. Th. Baccalaureo, Ejuſdemq; Profeſſore.*

Anno VERITATIS primæ Mundo patefactæ

1708. 13. Maij.

Cætera ſi dantur præſtantia munera ab Alto,
Sæpè tamen VERUM *ſingula vincit; enim*
Seû hoc, ſeû illud laudando præco loquatur,
Dicere ſed VERO, *non meliora poteſt.*

Candor eſt enim lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula DEI Majeſtatis, & imago bonitatis illius; & cùm ſit una, omnia poteſt; & permanens in ſe omnia innovat, & per nationes in animas ſanctas ſe transfert: amicos DEI, & Prophetas conſtituit. Sap. 7. Una hæc SAPIENTIÆ myſterioſa Periodus cùm Univerſam Theologicarum rerum contineat ſeriem, eam ad Clari NOMINIS, quia CANDIDI, *Eximij, & Admödum R. P.* MAGISTRI PROVINCIALIS SUI, magis quàm ad Cleanthis lucernam punctatim diſcutere libet: *Candor æternæ lucis, & ſpeculum ſine macula*, dicitur: pura ſcilicet lux de pura luce, quod tam clarè unitatem Divinæ Naturæ exhibet, ut eam naturali poſſimus metiri evidentiâ; ſi enim lux emanans ſit adeò pura, ſicut lux de qua emanat, nemini in dubium venire poteſt, eam cenſendam eſſe ejusdem naturæ ſimpliciſſimæ. Idem ipſiſſimum *Sapientis oraculum* non obſcurè indicat perfidæ ſuæ genti TRINITATEM, ex quo duæ oſtenduntur Divinæ emanationes; prima, quâ emanat *Speculum ſine macula,* quod eſt *Verbum;* Verbum enim eſt ſpeculum mentis, in quo intellectus ſua objecta intuetur. Altera, quâ emanat *Imago Bonitatis illius*, quæ eſt *Spiritus*

ritus Sanctus, cui Bonitas per proprietatem tribuitur; & per has emanationes duas, ostenditur Mysterium TRINITATIS SSmæ. Ex hoc igitur *Divini Salomonis Oraculo*, Pallas AUGUSTINIANA Theologicas sequenti ordine deducens Veritates, eas LILIATO consecrat NOMINI *Eximij & A. R. P.* PROVINCIALIS SUI

DE DEO UNO & TRINO.

I. DEUM esse, licèt sit adeò evidens lumine Naturæ, ut de eo ignorantia invincibilis dari non possit, hæc tamen propositio *DEVS est*, solùm est per se nota secundùm se, non autem quò ad nos. II. Ratio constitutiva essentiæ Divinæ neque est aseitas, neq; infinitas, neq; intelligere actuale viâ originis conceptum, sed solùm viâ veri discursus. III. Attributa inter se, & à natura non distingvuntur formaliter ex natura rei, sed solùm virtualiter, & ratione ratiocinatâ per intellectum, quâ tamen DEUS & Beati per visionem intuitivam illa non distingvunt. IV. Ad visionem intuitivam DEI intellectus creatus concurrit in ratione solius potentiæ specificæ cum lumine gloriæ, tanquàm virtute totali supernaturali, virtute ejus naturali materialiter & concomitanter se habente; sine quo lumine gloriæ sibi communicato per modum formæ permanentis aut transeuntis implicat intellectum creatum posse intuitivè videre DEUM. V. Cùm essentia immediatè per se ipsam possit exhibere concursum objectivum ad visionem beatam, hinc nulla de facto datur species impressa creata, quæ simul cum intellectu creato concurrat ad illam, imò hæc simpliciter implicat, sicut & videre Divinam essentiam intuitivè sine attributis, aut unum attributum

tum sine alio. VI. Objectum primarium Divinæ cognitionis non est ens, ut dicitur analogicè de creato & increato, sed ens Divinum, ut comprehendit omnia prædicata absoluta & relativa. VII. Futura cõtingẽtia absoluta sunt præsẽtia Deo ab æterno secundùm existẽtias reales & Physicas, quas in tempore habent, quæ præsentia Physica est necessaria ad hoc, ut scientia, quam DEUS habet, de illis sit intuitiva & invariabilis, non verò ut sit certa & infallibilis. VIII. Dantur iu DEO decreta absoluta ex parte subjecti, & conditionata ex parte objecti, in quibus certò & infallibiliter cognoscuntur futura conditionata. IX. Libertas Divinorum actuum consistit formaliter in indiffe. rentia indivisibilis volitionis necessariæ, ad varias oppositas denominationes penes ordinem ad diversa connotata extrinseca. X. In DEO datur vera & realis volitio beneplaciti, ad existentiam alicujus rei terminata, quæ tamen non implebitur, qualis est illa, quâ vult omnes salvos fieri. XI. Electio prædestinatorum ad gloriam non sit ex prævisis meritis, nec illa respicit ut motiva; Reprobatio verò fit ex prævisis demeritis. XII. Opera bona Moralia viribus naturæ elicita. nec de condigno, nec de congruo possunt promereri primam gratiam auxiliantem, aut esse ad eam dispositiones. XIII. Electio prædestinatorum ad gloriam formaliter & explicitè considerata, etiam quò ad materialem designationem unius præ alio, fuit ex meritis Christi efficaciter applicatis istis potiùs quàm illis, regulativè verò & motivè ex Divina voluntate ante merita Christi orta fuit. XIV. Processio Spiritûs Sancti non est propriè generatio, sicut processio VERBI; hoc solo discrimine, quòd illa sit per voluntatem, hæc verò per intellectum. XV. Relationes per se & nudè sumptæ, non sunt principium proximum *quo* Divinarum processionum, sed illud ingrediuntur solùm in obliquo, quatenus scilicet connotantur ab intellectu & voluntate.

XVI. Dicere, per quod procedit VERBUM Divinum, includit formaliter, & in recto intellectionem Divinam absolutam; & spirare, per quod procedit Spiritus Sanctus, includit essentialiter, & in recto velle absolutum.

Postquam Augustiniana Pallas ex candore Lucis æternæ, Sapientis oraculo declamatæ, Legionem Veritatis Theologicæ de DEO UNO & TRINO in Martialem eduxerit campum, ut tantò fortior, quò numerosior adversanti occurrat Gradivo, mentem hac de re ejusdem indagat *Sapientis*, qui sibi dicente: *& cùm sit una, omnia potest*, relictâ Magni catervâ Mundi, VERBO Æternæ Sapientiæ ex nihilo producti, sufficere sibi pollicetur parvum Mundum, id est hominem, Epitomen omnium operum DEI, *non qui consumat, sed qui consummet, quia perfectio nostra est ad illum pervenire, ad quem cùm pervenerimus, nihil ultra desideremus, quia finis noster est.* S. P. Aug. Hinc sequens Centurio Theologicæ Veritatis in Sociale armorum fœdus educitur, lustrandus pro VICTIMA CORDIUM ab *Eximio & A. R. P.* PROVINCIALI SUO

DE FINE ULTIMO.

I. DEUS, quantùm ad suos Actus immanentes, tam necessarios, quàm liberos, non movetur à sua bonitate, tanquam à vera & propria causa finali, qualitér movetur à gloria extrinseca, respectu operationum ad extra; seu honestate suarum operationum tanquam fine cujus gratia. II. Quidquid homo liberè, & humano modo appe-

appetit, intelligitur saltim virtualiter aut interpretativè, illud velle propter ultimum finem simpliciter formaliter sumptum; non potest verò simul habere plures, sibi non subordinatos. III. Beatitudo etiam naturalis, consistit primariò & principaliter in contemplatione naturali DEI, ut authoris naturæ & substantiarum immaterialium, & secundariò seu de connotato importat rectitudinem voluntatis, seu virtutes morales rectificantes voluntatem. IV. DEUS se solo de potentia absoluta non potest producere visionem beatificam, aut aliquem Actum vitalem; si tamen per impossibile produceretur à DEO, & intellectui creato infunderetur, non redderet illum intelligentem, aut videntem. V. Beatitudo, prout dicit statum omnium bonorum, quibus perficitur beatus, requirit tam Actus intellectûs, quàm voluntatis, prout verò dicit primordialem fontem, ex quo omnes Actus beatum facientes fluunt, est sola visio beatifica. VI. Beatitudini convenit ab intrinseco impeccabilitas; undè visio beatifica non tantùm ratione amoris DEI, sed etiam immediatè ratione sui, reddit homines ab intrinseco impeccabiles.

Et si hæc, quæ de Sapientis Oraculo *ad candorem lucis æternæ* in VICTIMAM CORDIUM A. R. P. M. PROVINCIALI consecrata exposuimus, humanis abscondantur obtutibus, qui naturæ fines non exeunt, nullum tamen Sacramentum secretius, & scrutatu magis difficile, quàm Sacrosancta *Divini VERBI Incarnatio.* Arcana *Prophetarum* Oracula, & *Scripturarum Textus* mysteriosâ sensuum multiplicitate complicatos *S. P. Augustinus, splendidissimum Ecclesiæ lumen, 7. Conf. Cap. 19.* mox ut fidei fuit gratiâ illustratus, se novisse fatetur: At quid Sacramenti recon-

deret: VERBUM CARO FACTUM EST: nec suspicari potuisse testatur. Ænigma hoc Sacratissimum, maximus sapientum Salomon, alio edisserere non valuit oraculo, quàm eo: *permanens in se omnia innovat.* Permansit in se *Candor æternæ lucis, unicus scilicet Æterni Patris Filius,* minimè illam mutationem passus, de qua arguitur Diabolus *Ioan. 8. in veritate non stetit:* aut illam, in quam invehitur *Damasc. in Christo IESV non est communem speciem accipere.* Hâc igitur Morali & Physicâ immutabilitate *permanens, innovat omnia,* cùm unum per gratiam innovat *Microcosmum.* Mysterium hoc *vincens scientiam nostram, Iob cap. 36.* procul à publica Certaminis abesset luce, nisi Illud *Triumphales Gentilitij Lubicz CRVCES ad Aras Virtutis, Sapientiæ, & Provincialis Dignitatis A. R. P. M.* PROVINCIALIS SUI in publicam reserarent Adoream. Ex reserata igitur tanti Mysterij profunditate, sequentes Theologicas Veritates eruere licet

DE INCARNATIONE.

I. SUpposito peccato, & Decreto reparandi hominem, ac satisfactione ad æqualitatem pro offensa, quæ est simpliciter infinita, necessaria fuit Incarnatio VERBI Divini, cujus satisfactio fuit Actus rigorosæ justitiæ. II. Unio Hypp. quæ est modus substantialis supernaturalis, quâ se tenet ex parte animæ rationalis, est Spiritualis; quâ verò ex parte corporis, est corporea; estq; terminus formalis Actionis incarnandi, non verò personalitas VERBI. III.

BI. III. Tres Personæ assumentes eandem naturam humanam, quod non implicat, non dicerentur plures homines, sed unus; sub qua assumptione habet inclinationem & appetitum innatum ad personalitatem propriam. IV. Humanitas CHRISTI antecedenter ad gratiam habitualem evasit formaliter sancta ex vi unionis, non per modum formæ sanctificantis, quæ est ipsa personalitas VERBI, secundùm suum esse relativum, sed per modum viæ, & ut quo. V. Animæ CHRISTI non solùm tribuitur Scientia beata, quâ vidit in Verbo, quidquid videt DEUS per Scientiam Visionis, sed etiam Scientiâ per se iôfusâ, ac per se acquisitâ. VI. Humanitas CHRISTI semotâ beatitudine, redditur formaliter & proximè impeccabilis ab infinita Sanctitate substantiali, illi quasi subjecto unita. VII. CHRISTO Domino fuit impositum strictum præceptum subeundi mortem, in qua amplectenda fuit liber non solùm à còáctione, sed etiam à necessitate; eâdem libertate gaudebat in adimplendis Præceptis negátivis, in quibus cognoscebat rationem boni & mali. VIII. Subjectum Prædestinationis in CHRISTO est Subsistens in natura humana, seu ipsemet CHRISTUS, ut est hic homo; Terminus verò primarius, est filiatio naturalis DEI, gloria autem animæ, & alia dona supernaturalia, sunt Terminus secundarius.

Tandem ut effusa in Sapientis Oraculum Scholastica penna inscium Principij attingat Terminum, ac VERITATI THEOLOGICÆ Triumphalem imponat Coronidem, ultimum Ejusdem Oraculi petit extremum: *per Nationes in animas sanctas se transfert; amicos DEI, & Prophetas constituit.* Transfert se Candor æternæ lucis in animas sanctas por Sacrosanctæ *Incarnationis Reliquias*, quo nomine *Doctor*

Ange-

Angelicus illa Septem è morientis latere CHRISTI promanantia FLUENTA appellat; quæ cùm habeant ſanctificare animas renatas per novas Nationes, & conſtituere per gratiam amicos DEI, ad Ejusque ducere viſionem, meritò *Prophetas*, id eſt *videntes* DEUM dicuntur conſtituere. Hausêre tantam virtutem ſalutaria Fluenta hæc ab illo utiq; triumphali *Salvatoris Signo*, quo duplicato *Gentilitia* POTOCCIANÆ DOMUS LUBICZ Candore, tot meritorum quâ Togâ quâ Sago fulget, & Auguſtinianam Eremum in *Eximio & A. R.* PATRE MAGISTRO PROVINCIALI Suo, irradiat, & illuſtrat. Quare dum Theologica Pallas ſub fortunatiſſimo *Ejusdem* adventu in publici Certaminis Arenam ſuas educit Veritates, coronidem illarum figit in ijsdem Salutaribus Fluentis

DE SACRAMENTIS.

I. IN Lege Naturæ fuerunt vera Sacramenta tam pro parvulis, quàm pro adultis, in remedium peccati Originalis & Actualis, quæ tamen non erant à DEO determinata in particuiari, ſed relicta hominum arbitrio. II. Sacramenta Novæ Legis inſtrumentaliter Phyſicè cauſant gratiam; poſſunt etiam dici Inſtrumenta Moralia DEI, reſpectu productionis ejusdem. III. Neq; Species Sacramentales ſolæ, neq; ſolum CHRISTI Corpus, ſed ambo ſimul componunt Sacramentum Euchariſtiæ intrinſecè & in recto, tanquam proxima & adæquata Materia, Verba verò Conſecrationis, ſunt Forma intrin-

ſeca

ſeca illius. IV. Tranſubſtantiatio Sacramentalis non poteſt eſſe ſolùm productio novæ ubicationis internæ, neq; modi extenſionis, quo CHRISTUS fiat de novo præſens & còextenſus ſpeciebus, neq; eſt ulla formalis Unio Corporis CHRISTI cum Speciebus, ſed eſt actio productiva totius Corporis CHRISTI ſub Speciebus. V. Sacramentum Pœnitentiæ componitur intrinſecè ex Abſolutione, Confeſſione, Contritione, & Satisfactione; quod licèt ſit neceſſarium in re vel in voto, neceſſitate medij ad delenda peccata, hoc tamen votum ſufficit eſſe implicitum, VI. Merita mortificata per Pœnitentiam, non reviviſcunt ſecundùm omnem gradum meriti, quem habuerunt ante peccatum, ſed juxta quantitatem præſentis diſpoſitionis, per quam Pœnitens reſurgit.

Hæc eſt igitur illa CORDIUM VICTIMA, quam Eremitica Pallas Noſtra in perpetuum gratitudinis Anathema in ARA VIRTUTUM MERITORUMq; TUORUM conſecrat & dicat NOMINI TUO devotiſſima, EXIMIE & A. R. PATER MAGISTER PROVINCIALIS. Singularem haud poteſt non ſpirare ſuavitatis odorem VICTIMA hæc, cùm ſit ipſa Intaminata VERITAS, idq; de DEO,

 quæ

quæ poſt quiennalem in Martiali Stadio Curſum, dum terminalem exoptat Coronidẽ, non aliã, niſi TE IPSUM Fontem gratiarum, Votorumq; ſuorum Terminum, ſibi devovet. Nec pretioſiore unquam potuit coronari Diademate, quàm Virtutum Meritorumque Tuorum, Cui cùm illud Plinianum inſcribimus: *Dent TIBI Superi ætatem, quam mereris, ſerventq; ſpiritus, quos dedêre:* tum ſimul immortali recordationi monumentum ære perennius incidimus: quòd TU ſis Ipſe ut literarij Curſûs Noſtri, ita affectuum Votorumque PRINCIPIUM &

FINIS.

Bibl. Jag.

Biblioteka Jagiellońska
stdr0023099